



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Rhemense Contra Eon Haereticvm, qui dicebat se esse Filium Dei, per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus: Per eum qui venturus est: item contra assertiones Giliberti Porretani ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1148.

CONCILIVM RHEMENSE

<sup>a</sup> CONTRA EON HÆRETICVM,  
qui dicebat se esse Filium Dei, per quem omnis oratio  
concluditur, cum dicimus: Per eum qui venturus est:  
item contra assertiones Giliberti Porretani Pictauiensis  
episcopi, aliisque de causis indictum & celebratum an-  
no Domini MCXLVIII. tempore Eugenii papæ III.

ASSERTIONES GILIBERTI PORRETANI  
*Pictauiensis episcopi.*

**Q**UOD diuina natura, quæ diuinitas dicitur, Deus non  
fit, sed forma qua Deus est, quemadmodum huma-  
nitas homo non est, sed forma qua est homo.

Quod cum Pater & Filius & Spiritus sanctus vnum es-  
se dicuntur, non nisi vna diuinitate esse intelligantur, nec  
conuerti possit, vt vnus Deus, vel vna substantia, vel vnum  
aliquid, Pater & Filius & Spiritus sanctus esse dicatur.

Quod tres personæ tribus vnitatibus sint tria, & distin-  
ctæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ personæ, sed  
sunt tres æternæ, & abinuicem a diuina substantia in nu-  
mero differentes.

Quod diuina natura non fit incarnata.

FIDEI SYMBOLVM CONTRA  
præcedentes errores Giliberti.

*Anno Domini millesimo centesimo quadagesimo octauo symbo-  
lum istud sub Eugenio tertio papa in Rhemensi Concilio firmatum  
est a patribus prouinciarum.*

Credimus & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Sicubi vero dicitur: Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi; credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse; non nisi ea vnitate vnum, quæ est ipse; non nisi ea diui-

Fidei sym-  
bolū contra  
errores Gi-  
liberti.

*Concil. Tom. 27.*

Aa ij







ANNO CHRISTI 1148.  
 \* scissura  
 \* errata  
 \* pontificali  
 \* eam

clerici, neque in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut \* scissura vestium, neque in tonsura, intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant aspectum, sed potius ita in suis actibus \* ea condemnent, vt amorem innocentiae conuersatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericalis. Quod si moniti ab episcopis suis infra vndecim dies non obtemperauerint, ecclesiasticis beneficiis eorundem pontificum auctoritate priuentur. Episcopi vero si praefixam poenam irrogare neglexerint: quia inferiorum culpae ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides negligentisque rectores: tamdiu ab \* episcopali officio abstineant, donec poenam a nobis constitutam clericis sibi subiectis imponant, nec \* etiam nisi praecedente congrua satisfactione relaxent.

III.

Præterea quod a patribus nostris propensiori cura nouimus constitutum, nos quoque præcipimus obseruari: vt qui in ordine subdiaconatus, aut supra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant.

IV.

Ad maiorem autem domus Dei decorem adii- 18. q. 1. cap. 25.  
 \* regula  
 \* comuni

cientes statuimus, vt sanctimoniales & mulieres, quæ canonicæ nominantur, & irregulariter viuunt, iuxta beatorum Benedicti & Augustini \* rationem, vitam suam in melius corrigant & emendent; superfluitatem & inhonestatem vestium recidant; & in claustro sint assidue permanentes, \* choro, refectorio, & dormitorio sint contentæ, & relictis præben-



dis, & aliis propriis, earum necessitatibus de com-  
muni \* prouideant. Quod si vsque ad proximum  
apostolorum festum non adimpleuerint, extunc  
in earum ecclesiis, donec hoc nostrum mandatum  
\* adimpleuerint, diuina prohibemus officia cele-  
brari; & si qua ipfarum mortua fuerit, Christiano-  
rum careat sepultura. Prohibemus etiam, ne in ea-  
rumdem collegiis aliqua \* quæ irregulariter victura  
fuerit, recipiatur.

## V.

Cap. De-  
cernimus.  
de iudiciis.

Decernimus \* etiam, vt laici ecclesiastica termi-  
nare negotia non præsumant; & episcopi, abbates,  
archidiaconi, & alii ecclesiarum prælati de negotiis  
ecclesiasticis, vel de aliis quæ spiritalia esse noscun-  
tur, aliquorum laicorum iudicio non disponant;  
nec propter eorum prohibitionem ecclesiasticam  
dimittant iustitiam exercere.

## VI.

Auctoritate quoque apostolica prohibemus, vt  
nullus aduocatus, præter ius & beneficium anti-  
quitus constitutum, sibi \* aliquid accipere vel vsur-  
pare præsumat. Subaduocatos vero & exactores  
eorum modis omnibus ab ecclesiarum infestationi-  
bus remoueri præcipimus. Quod si quis contra  
hanc \* sententiam a nobis promulgatam de cete-  
ro attentare præsumperit, Christianorum careat  
sepultura.

## VII.

27. quest.  
1. cap. 40.

Quia vero continentia, & Deo placens mundi-  
tia, in ecclesiasticis personis & sanctis ordinibus di-  
latanda est, sanctorum patrum, & prædecessoris



ANNO  
 CHRISTI  
 1148.

nostri papæ Innocentii vestigiis inhærentes statui-  
 mus, quatenus episcopi, presbyteri, subdiaconi, re-  
 gulares canonici, monachi atque conuersi profes-  
 si, qui sacrum transgredientes propositum vxores  
 sibi copulare præsumperint, separentur: huiusmo-  
 di namque copulationem, quam contra ecclesia-  
 sticam \* rationem constat esse contractam, matri-  
 monium non esse censemus: qui etiam abinuicem  
 separati pro tantis excessibus condignam pœni-  
 tentiam agant. Idipsum quoque de sanctimoniali-  
 bus, si, quod absit, nubere tentauerint, obseruari  
 præcipimus.

VIII.

Diuiinarum legum manifesta & disciplina, & san-  
 ctorum patrum decreta sanxerunt, vti decimas ec-  
 clesiarum, quas in vsus pietatis concessas Canonum  
 demonstrat auctoritas, laici non debeant posside-  
 re. Nos quoque ne id fiat modis omnibus prohi-  
 bemus, siue ab episcopis, siue a regibus, vel quibus-  
 libet personis acceperint, nisi ecclesiæ reddiderint,  
 sacrilegii crimen committunt, & periculum æternæ  
 damnationis incurrunt.

IX.

Illud etiam duximus annectendum, vt nullus in Dist. 7. ca. 3.  
 archidiaconum nisi diaconus vel presbyter ordi-  
 netur. Archidiaconi vero, decani, vel præpositi, qui  
 infra ordines prænominatos existunt, si inobe-  
 dientes ordinari contempserint, suscepto honore  
 priuentur. Prohibemus \* etiam, ne adolescentibus,  
 vel infra sacros ordines constitutis, sed qui pruden-  
 tia & merito vitæ clarescunt, prædicti concedan-  
 tur honores.



## X.

i. q. 2. cap. 5.  
& vlt.

Præcipimus etiam, ne presbyteris conductitiis ecclesiæ committantur, & vnaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem, nec ab eius regimine alicuius, nisi episcopi, in cuius parochia fuerit, vel archidiaconi \* canonico iudicio \* aut depellatur. Cui de bonis ecclesiæ tantum beneficii præbeatur, vnde conuenienter valeat sustentari.

ANNO  
CHRISTI  
1148.

## XI.

Cap. 2. de  
treuga &  
pace.

Præcipimus quoque, vt presbyteri, clerici, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia cum quibus arant, & oues omni tempore sint securæ. Si quis autem hoc nostrum statutum violare præsumpserit, episcopus in cuius parochia fuerit, omni \* trepiditate seposita, canonicam de ipso iustitiam faciat.

\* trepiditate

## XII.

De torniamen, cap. 1.

Temerariam quoque militum audaciam, qui ad detestabiles nundinas vel ferias ex condicito solent ad ostensionem suarum virium conuenire, vnde mortes \* corporum & animarum sæpius prouenerunt, omnino \* fieri interdiciamus. Quod si quis ibidem cæsus vel mortuus fuerit, poenitentia ei & viaticum non negetur; ecclesiastica tamen careat sepultura.

\* hominum &amp; pericula sibi

## XIII.

16. q. 4 c. 29.

Nihilo minus præsentis scripti ferie, statuta prædecessoris nostri felicitatis memoriæ papæ Innocentii confirmantes, decernimus, vt si quis suadente diabolo tanti sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum,

\* per

\* acceptio



ANNO  
CHRISTI  
1148.  
\* incipiat.

ricum, vel monachum violentas manus \* mittat, anathemati subiaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

X I V.

Hac etiam consona sanctorum patrum definitione sancimus, vt in eos qui ad ecclesiam, vel cœmeterium confugerint, nullus manus mittere audeat. Quod \* qui fecerit, anathema sit.

X V.

Innouamus etiam, vt si quis malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura. Nec absoluatur, nisi prius damno cui intulit, secundum facultatem suam refarcito, iuret se vltius ignem non appositurum. Pœnitentia \* Dei detur, vt in Hierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum permaneat. Si quis vero archiepiscopus, vel episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat: & per annum ab officio pontificali abstineat. Sane regibus & principibus facultatem faciendæ iustitiæ non negamus.

X V I.

Præcipimus etiam, vt \* pro chrisomatis, & olei sacri, & sepulturæ \* acceptione nullum precium exigatur.

Illud etiam, quod a prædecessore nostro papa Innocentio statutum est, innouantes, ordinatio-

*Concil. Tom. 27.*

B b



nes factas a filio Petri Leonis, & aliis schismaticis & hæreticis, euacuamus, & irritas esse censemus.

ANNO  
CHRISTI  
1141.

## XVII.

Quia etiam apostolica sedes quod rectum est consuevit attenta consideratione defendere, & quod deuium \* inuenitur esse deuitare, præsentis decreti auctoritate præcipimus, vt nullus omnino hominum hæresiarchas & eorum sequaces, qui in partibus Guasconia, aut Prouincia, ..... vel alibi commorantur, manuteneat vel defendat: nec aliquis eis in terra sua receptaculum præbeat. Si quis autem vel eos de cetero retinere, vel ad alias partes proficiscentes eorum errori consentiens recipere forte præsumpserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, & in terris eorum, donec condigne satisfaciant, diuina celebrari officia interdiciamus. *Hactenus ex codice Vaticano.*

\* esse in-  
uenire-  
uitare,

## NOTA.

Concilio  
acta.

<sup>a</sup> *Contra Eon hæreticum.*] Quis fuerit ille hæreticus, quo tempore, loco ac modo condemnatus a Concilio Otto Frisingensis in Friderico lib. I. cap. 54. describit his verbis: *Erat in proxima mediana quadragesima dominica apud illius Gallie metropolim Rhemis generale indictum Concilium; tam ex eo quod praxatus papa persecutionem populi sui declinando in Gallis morabatur; quam ob hoc quod quidam pene laicus hæretici honorem in vassis populorum affectans, examini ecclesie reseruandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Gallie, id est circa Britanniam & Guasconiam, eo quod remotis ibi a corde Francie populis, simplicitas, vel potius (vt ita dixerim) stulticitas, cui facile error obrepere solet, abundat, verbum predicationis assumpserat, eumque tamquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens quod ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus, Per eum, &c.*

Idé cap. 55.

*Igitur volente tempore, cum eadem mediana quadragesima adueniret, dumque a Turcis populi dispersi Ierusalem tendentes per altum nauigaremus aquor, in basilica Dei genitricis semperque virginis Mariae, Rhemis, presidente summo pontifice Eugenio, sedis Concilium; productus fuit ibi, vt fingere liceat, cum scriptulis suis prædictus Eon*



ANNO  
CHRISTI  
1148.

vir rufsticanus, & illiteratus, nec heretici nomine dignus, ac pro contumacia fatuitate, vel fatua contumacia sua puniendus, Sugerio abbati sancti Dionysii, qui regni negotia ob absentiam regis in occidentali Francia, iuxta illius cœnobii prerogatiuam, administrabat, commissus, ab eoque arctè custodiae mancipatus, vitam in breui finiuit. Venerunt ad predictum Concilium cum bulla aurea nuntii iunioris Romanorum regis Henrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quam de tribus fratribus Poloniae, qui eiecto quarto & seniore ducatum intra se diuiserant, ac de episcopis illius prouinciae, qui super hoc patri ipsorum iuramentum praestiterant, querimoniam facientes. Fama quoque malum, omnibus motabilibus velocius, iuxta illud:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

immensitatem soli ex natura sua celeritate transuolans, de expeditionis nostrae euentu certa promens indicia, in auribus oreve omnium ibi versabatur.

Robertus in appendice ad Sigebertum asserit anno quadragesimo octauo post millesimum & centesimum contigisse a papa Eugenio Rhemis XI. Kalendas Aprilis Concilium celebrari: In quo, inquit, hereticus quidam de Britannia adductus damnatur, qui se prophetam, vel magnum quemlibet, & nomine suo alludens (Eon enim dicebatur) eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & saeculum per ignem, se esse dicebat, & de suis quosdam quidem angelos, alios autem apostolos faciebat, & propriis angelorum seu apostolorum nominibus appellabat, quo plane signo & ipsum ex Manichaorum officina produisse, possumus intelligere ex iis quae dicta sunt loco de Manichaeis. Qui in Concilio damnatus, sub custodia Rhemensis archiepiscopi non multo post defunctus vita pariter caruit & memoria. Hæc Robertus.

Auctor huius sæculi VVilielmus Neubrigensis res ab eodem perditissimo homine gestas ad Rhemense Concilium perductas sic refert: Circa idem tempus Eugenius papa Romanus ad sedis apostolicæ regimen ex vitæ regularis districtione assumptus, ecclesiastica studio disciplina in Gallias veniens, generale Concilium instituit Rhemis: in quo dum sederet cum omni frequentia episcoporum, atque nobilium, oblatu est ei quidam vir pestifer, qui spiritu plenus diabolico, prestigiali astutia tam multos seduxerat, ut fretus sequentium numero, per diuersa loca formidabilis aberraret, ecclesiis maxime monasteriisque infestus. Diu itaque mulium de bacchatus, tandem a Rhemensi archiepiscopo captus est, sapientia vincente malitiam, & sancto Concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus & idiota, ludificatione demonum ita dementatus, ut cum sermone Gallico, Eon diceretur, ad suam personam pertinere crederet quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet, Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & saeculum per ignem. Ita plane fatuus, ut Eon, & eum, nesciret distinguere, sed supra modum stupenda cacitate crederet se esse dominatorem & iudicem viuorum & mortuorum: eratque per diabolicas praestigias tam potens ad capiendas simplicium animas, ut tamquam ex muscis

Concil. Tom. 27.

Bb ij

Eon hereticus in carcere moritur.

Infans hereticus condemnatur.

VVilielm. Neubrig. lib. 1. c. 19. de Eudone siue Eon heretico.



aranciarum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret, que tota illum tamquam dominum dominorum indiuidue sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diuersas prouincias ferebatur, interdum vero morabatur cum suis omnibus in locis desertis & inuis, moxque instigante diabolo erumpebat improvisus, ecclesiarum maxime ac monasteriorum infestator.

ANNO  
CHRISTI  
1148.

Accedebant ad eum plerumque noti eius & propinqui, (erat enim non infimi generis) siue ut eum familiari ausu corripere, siue ut quomodo se circa eum res haberet cautiùs explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus, fastusque regius; & qui cum eo erant, sollicitudinis, laborisque expertes, precise indui, splendide epulari, & in summa letitia agere videbantur, intantum ut plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conspectu eius non vera sed phantastica gloria corrumpere, fiebant enim, sed phantastice, per demones, a quibus scilicet misera illa multitudo, non veris & solidis, sed aeris potius cibis in locis desertis alebatur. Nam sicut postmodum per quosdam audiimus, qui in eius fuerant comitatu, eoque sublato, tamquam agentes penitentiam, per orbem vagabantur, in promptu eius erant, quotiescumque volebat, panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores.

De præsti-  
giis homi-  
nis hæreti-  
ci.

Verum quod iudem cibi non solidi, sed aerii fuerint, ministrantibus inuisibiliter spiritibus aeris huius, ad capiendas magis quam pasceñas animas, hinc elucet, quod quantumcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam tanta mox sequebatur esuries, ut eosdem cibos illico repetere cogere. Quicumque forte ad eos accedens, ex cibis eorum vel modicum gustasset, ex participatione mensa demoniorum mente mutata, spurcissima multitudini continuo adharebat. Et quicumque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat.

Denique fertur quemdam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, & simpliciter monuisse, ut abiurata nefanda secta illa per communionem Christiana gratia proprio generi redderetur. Ille hominem astute suspendens, ostendit ei in multiplici specie phantasticarum opum amplitudinem, ut blandiente visarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noster es, sume de nostro quod & quantum vis. Verum homo prudens, cum verba correptionis in ventum fudisset, exiit ut abiret. Armiger vero eius conspectum mire pulcritudinis accipitem in propriam perniciem concupiuit. Quo petito & accepto dominum suum iam abeuntem cum letitia sequebatur. Cui ille: Abiice cito quod portas, non enim est auis, ut videtur, sed demon sic transformatus: cuius verbi veritas post modicum claruit. Cum enim inspiens nollet audire monentem, primo conquestus quod accipiter ille unguibus sibi pugnium fortius stringeret: mox ab eodem per manum in aerem subleuatus deinceps non comparuit.

Capitulum  
Eon hære-  
ticus.

Sane cum pestifer ille ita debaccharetur, (ut dictum est sepius) a principibus ad vestigandum & persequendum cum exercitus frustra mittebatur: questus enim non inueniebatur. Tandem vero fraudatus ope demonum, cum non amplius per illum debacchari sinerentur, (non enim nisi a superioribus potestatibus iusto Dei iudicio relaxantur) leui negotio a



ANNO CHRISTI 1148. Rhemensis archiepiscopo comprehensus est, & populus quidem stolidus, qui eum sequebatur, dilapsus est. Porro discipuli, qui ei arctius adhaerebant, eiusque cooperatores extiterant, cum ipso capti sunt.

Cum ergo staret in conspectu Concilii, interrogatus a summo pontifice quisnam esset, respondit: Ego sum ille qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & saeculum per ignem. Habebat autem in manu sua baculum inusitatae formae, in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille: Res, inquit, grandis mysterii est. Quamdiu enim, sicut nunc videtis, duobus calum capitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi submittam usque ad terram, & inferiorem eius partem, quae simplex est, erigam, ut calum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad haec risit uniuersa Synodus, derisitque hominem tam profunde datum in reprobum sensum. Iussus autem ex decreto Concilii, ne pestis iterum serperet, diligenter custodiri, tempore exiguo superuixit.

Stulta professio haeretici hominis.

Discipuli vero eius, quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans Sapientiam, alium Scientiam, alium Iudicium, & in hunc modum ceteros, cum sanam doctrinam nulla ratione recipere, potius obstinatissime de falsis gloriarentur vocabulis; intantum, ut ille qui Iudicium dicebatur, suis detentoribus ultricem infelici fiducia comminaretur sententiam. Curia prius & postea ignibus traditi, ardere potius, quam ad vitam corrigi maluerunt. Audiui a quodam venerabili viro, qui interfuit dum haec agerentur, quod audierit illum, qui Iudicium dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem: Terra findere: tamquam ad oris eius imperium terra aperienda esset, & deuoratura sicut Dathan & Abiron hostes eius; tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit. Haecenus Neubrigensis.

Discipulorum eius nomina & poena.

Inter alia autem, perlatas ad Synodum regum causas esse sic idem narrat: Venerunt ad predictum Concilium cum bulla aurea nuntii iunioris Romanorum regis Henrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quam de tribus fratribus ducatus Polonia, qui eiecto quarto & seniore ducatum intra se diuiserant, ac de episcopis illius provinciae, qui super hoc patri ipsorum iuramentum praestiterant, querimoniam facientes. Sed quid de his in Concilio fuerit definitum dicere praetermittit.

Causae principum perlatæ ad Concilium.

Insuper autem statutos fuisse in eadem Synodo complures Canones spectantes ad disciplinam ecclesiasticam in usum pristinum reuocandam, ex sancto Bernardo, qui ex illis aliquot recitat in libris de consideratione ad Eugenium, possumus intelligere, dum quarto anno a tempore isto conqueritur apud ipsum pontificem non seruari quæ in proximo praecedenti Rhemensis Concilio can. 2. & 9. statuta fuissent.

Hi Canones numero sunt decem & septem. Suntque prius constituti, quam de causa Giliberti quidquam ageretur. Accepti sunt ex duobus exemplaribus, vno Vaticano, altero Gallicano codice manuscripto: quorum hoc missum est Romam ad Gregorium XIII. a Iacobo Amioto episcopo Antifiodorensi. Varietates lectionum posi-



tae sunt in margine. Post Canones sancitos actum est de erroribus Giliberti, prout sequitur.

ANNO  
CHRISTI  
1148.

Quae vero in causa Giliberti Porretani post haec gesta fuerint, idem Otto Frisingensis cap. 56. sequente, his verbis describit: *Itaque finita Synodo, salutiferisque ad innouationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores & viciniores ad causam episcopi Giliberti terminandam referuatur. Decursa mediana quadragesima hebdomada, sacroque dominica passionis tempore inchoante, episcopus Pictauinus, manente adhuc summo pontifice Rhemis rursus ad iudicium trahitur: in cubiculo, ubi urbis episcopus cum senioribus sedit, vocatur: & ab eo quid de fide sanctae Trinitatis sentiat subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eandem se quam illi fidem tenere asserbat. Cumque huiusmodi sermone, seu legendi prolixitate dies detineretur, tamquam radio affectus Romanus inquit antistes: Multa, frater, dicis, multa, & ea fortassis quae a nobis non intelliguntur, legi facis: sed simpliciter a te cognoscere velim, anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris vnum Deum, credas esse Deum. Qui diuina collatione fatigatus minus praemeditate respondit: Non. Quod dictum mox ab eius ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictauiensis scripsit & dixit quod diuina essentia non est Deus. In commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi auctor theologiae a naturalibus predicamenta discernens, inter cetera posuit, Substantia qua Deus est, iste apposuit, Non quae Deus est, id est ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hac verba conuentus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium, cum nocte sequente, amicos suos ex cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit. In crastino ipso denuo coram summo pontifice in causa posito recitatur scriptum: cuius ut ab eo reddatur ratio exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserbat. Dicebat enim hoc nomen, Deus, quandoque in designatione naturae, quandoque in designatione personae vnius etiam poni. In designatione naturae, ut cum dicitur, Deus tuus vnus est: personae, ut cum dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus: personae & vnius tantum de tribus, ut ibi, Ascendit Deus in iubilatione: quod de persona Filii dictum esse nemo ambigit. Quare & aiebat se, diuinitatem esse Deum, in illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo vero absolute concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen, Deus, accommodatur: ne videlicet si indeterminate profiteretur diuinitatem esse Deum, id est, quamlibet personarum, cogeretur sine determinatione concedere quidquid de qualibet personarum, & de essentia: sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam Filii, ita diuinam essentiam indeterminate incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facile sensus haeticus, iuxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans, & genita, & eadem seipsam genuisse. Quod autem inter naturam & personam non mathematica abstractione, sed theologiae consideratione, quoquo modo diuideret ratio, & ratione & auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet iuxta A-*

Psalm. 47.



ANNO  
CHRISTI  
1148.

rium, sicut personarum, ita & pluralitatem admitteret essentialium: vel secundum Sabellium, ad essentialium singularitatem, Christiana fidei religio pluralitatem restringeret personarum, hac Theodoretum contra Sabellium vultens auctoritate: Oportet ergo desiderantem spirituales diuitias, & volentem Christianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne forte aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in diuisionem Arii incidit, aut in confusionem Sabellii. Et illa Hilarii: Discerne igitur, o heretice, spiritum Christi ab Spiritu Dei, & excitati a mortuis spiritum Christi a Spiritu Dei Christum a mortuis excitantis. Et quare nunc, in Spiritu Dei utrum naturam aut rem nature significatam existimes? Non idem est enim natura, quod natura res est: sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundum hoc non idem est Deus, & quod Dei est. Item quod non natura, sed Filii persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani Concilii ostendit: Solum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen accepit hominem in singularitate personae, non unitate diuinae naturae: id est, id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati. Quam auctoritatem cum determinare vellet Claraualensis abbas, aliqua verba qua cardinalibus displicerent protulit. Episcopo Pictauiuo dicente; Et hoc scribatur. Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat conuocauit. Ibi cum archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor praedicta, qua Pictauiuo episcopo imponebantur, capitula fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis, & alii cum ipso exposuerunt.

Credimus simpliciter naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Si vero dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, aeternitate aeternum, unitate unum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi, credamus non nisi ea sapientia qua est ipse Deus sapientem esse, non nisi ea magnitudine qua est ipse Deus magnum esse, non nisi ea aeternitate qua est ipse Deus aeternum esse, non nisi ea unitate qua ipse est unum esse, non nisi ea diuinitate Deum qua est ipse, id est, seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum.

Cum de tribus personis, Patre & Filio & Spiritu sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam diuinam substantiam fatemur esse: Et e conuerso, cum de uno Deo, una diuina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam diuinam substantiam esse tres personas profiteamur.

Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, aeternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel unitates dicantur, & huiusmodi alia adesse Deo, qua sint ab aeterno, & non sint Deus.

Credimus ipsam diuinitatem (siue substantiam diuinam, siue naturam diuinam dicas) incarnatam, sed in Filio esse.

Quod Gallicana ecclesiae factum tam grauiter sacer cardinalium sena- Cardinales



qua de cau-  
sa offensa?

tus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tamquam unum corpus effecti, una omnes voce pontifici suo dicerent: Scire debes, quod a nobis, per quos tamquam per cardines vniuersalis ecclesia voluitur axis, ad regimen totius ecclesie promotus, a priuato vniuersalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere: nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus preponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanaeque curie culmen ex officii tui necessitudine curare & obseruare debere. Sed quid fecit abbas tuus, & cum eo Gallicana ecclesia? qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romana sedis primatum & apicem erexit? Hec est enim sola que claudit & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica discutere habens, a nullo etiam absens, in hoc singulari honore praiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis qua his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tamquam finiturae sententiae vltimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere presumpserunt. Certe si in oriente, utpote Alexandria vel Antiochia, coram omnibus patriarchis huiusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret auctoritate: quinimo, iuxta antiquorum patrum instituta vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra praesentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temeraria nouitati celeriter assurgas, ipsorum contumaciam punire non differas. Quis Romanus pontifex blando mitigans eloquio, abbatem ad se vocato, de hoc facto, qualitateve facti solerter inquirat. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit, se vel dominos episcopos nihil de praefatis capitulis diffinisse: sed quia ab episcopo Pictauino audierat, ut fides sua scriberetur, idcirco, quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili quam modesto ipsius responso predicta cardinalium indignatio conquieuit, ita tamen, ut praefatum scriptum, tamquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro simbolo in ecclesia, quod in Conciliis contra haereses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic ecclesiae suae, sponsae suae, prouidit, ne vel summa membra a capite suo disiderent, vel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicana ecclesia aliquod iudicii pondus a sede Romana reportans, schismatis non parui occasio esset.

Qua ratio  
accidit.Definitio  
Eugenii.

Haec pauca ex multis de illius Concilii agenda dixisse sufficiat: hoc tamen appposito, quod de tribus capitulis propter praemissam tumultuationem nihil definitum potuit. Nec mirum: in quarto enim non multum ab aliis discordabat episcopus Gilibertus, cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio: iste personam Filii incarnatam, non sine sua natura. De predicatione personarum quid diffinirent, cum eius vsus quidem, quid scilicet proprie predicari diceret, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an personae essent, tam ob predictam causam, quam ob theologicas rationes, quae hincinde habentur, suppressum est. De primo tantum Romanus pontifex diffiniuit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam & personam divideret; neque  
Deus



ANNO  
 CHRISTI  
 1148.

Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam nominatiui. Vnde adhuc a probatoribus eiusdem episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicendo, Episcopus vero premissam summi pontificis sententiam reuerenter excipiens, archidiaconibus suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine ad propriam diocesim remeauit.

Vtrum autem predictus abbas Claraualensis in hoc negotio ex humana infirmitatis fragilitate, tamquam homo deceptus fuerit, vel episcopus tamquam vir literatissimus propositum astute celando ecclesie iudicium euaserit, discutere vel iudicare nostrum non est. Quod enim sancti & sapientes viri, corruptibili carne circumdati frequenter in talibus fallantur, & nouis & antiquis probatur testimoniis. Nam ut de illo taceam, quod beatus Gregorius sancto Dauid, in quem Spiritus Domini directus asseritur, ad patriam, a qua a filio propulsus fuerat, reuertenti, a seruo Miphiboseth cum xenii occurrenti surreptum, inducit, exemplo. Christianis temporibus beatus Epiphanius Salamina Cypri episcopus, tam eximia, ut mortuum quoque suscitaret, sanctitatis, aduersus Ioannem Chrysostomum, cuius hodie in ecclesia viget memoria, tam acriter ab emulis induci potuit, ut eum in propria ciuitate declinans, comunicareque nolens, etiam populum sibi commissum, quantum in ipso fuit, contra illum concitaret. Quod in priori nostra ex Tripartita sumptum historia plenius dictum est. Hæc Otto prædicto loco. De eiusdem Giliberti causa fufe Baronius hic ista: His absolutis, introducta est in Concilium Giliberti episcopi Pictaueusis causa, in qua idem Gilibertus expertus est sanctum Bernardum vehementissimum contradictorem. Qui cum adeo perstringeret illum, ut omnino conuinceret ipsum hæreticum, Eugenius papa confulens tanti episcopi famæ, id seorsum post dimissum Concilium faciendum duxit, testatur hæc Gofridus in vita ipsius sancti Bernardi, cum ait: Igitur in Concilio, quod in vrbe Rhemorum papa venerabilis Eugenius celebravit, egit cominus aduersus hunc Gilibertum ecclesie sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus: primo quidem totum, quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, eliciens; deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis, biduana disputatione redarguens. Considerans sane, nonnullos ex his qui presidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes iniuriam a persona; accensus est zelo, & domesticam sibi ecclesiam seorsum conuocat Gallicanam. Communi denique consilio a patribus decem prouinciarum, aliis autem episcopis & abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur symbolum nouum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demum apostolico iudicio & auctoritate vniuersalis ecclesie error ille damnatur; episcopus Gilibertus an eidem damnationi consentiat interrogatur. Consentiens & publice resistans que prius scripserat & affirmauerat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege eandem ingredi disceptationem, ut promitteret sine vlla sese obstinatione pro ecclesie sanctæ arbitrio correcturum libere suam opinionem. Hactenus Gofridus.

An Porretanus hæreticus suam, ut vult sanctus Bernardus, in Concilio abiurauerit?

Vita sancti Bernardi lib. 4. cap. 5.

Giliberti damnantur errores.



Gilbertus  
cur hæreti-  
cus non di-  
cendus.

Ex quibus plane illud inducitur, eundem Gilbertum, licet hæretica senserit, hæreticum non fuisse, cum pertinacia, quæ secundum sanctum Augustinum de ciuitate Dei, facit quemquam hæreticum, omnino caruerit, & hac de causa non fuerit poena mulctatus priuatione episcopatus, quo priuandus omnino fuisset ex præscripto sacrarum legum, si conuictus fuisset hæreticus, imò & hæresiarcha.

At quod symbolum nouum, quod asserit tunc a sancto Bernardo fuisse conscriptum, atque ab episcopis subscriptum, quænam controuersa eius causa excitata fuerit, & tumultus obortus a sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus aduersus Eugenium papam, ex Ottone Frisingensi, rem ipsam locupletius prosequente, supra dictum est.

Ad postremum hic reddenda est epistola Gaufredi monachi Cisterciensis, data ad cardinalem Albanensem, post plura annorum curricula rogantem eum, quem sciret interfuisse eidem Rhemenfi Concilio, vt cuncta quæ actitata essent ab Eugenio papa in causa eiusdem Gilberti, siue Gisleberti, Pictauiensis episcopi, ad ipsum scriberet, quod & præstitit, ita scribens:

EPISTOLA  
GAUFREDI MONACHI  
AD EPISCOPVM ALBANENSEM.

De rebus gestis in causa Gilberti Porretani.

*Amantissimo patri & domino A. Dei gratia Albanensi episcopo, domini papæ vicario, frater Gaufredus de Claraualle minimus id quod est.*

**I**NVNXERAT vestra paternitas venerabilis fratri nostro, & vestro speciali filio Augustino, vt de mandato vestro mihi imponeret, vobis per epistolam diligenter notum facere, qualiter in Rhemenfi Concilio, quod dominus papa beatæ memoriæ Eugenius III. celebrauit super quibusdam capitulis, in expositione Pictauiensis episcopi magistri Gisleberti cognomento Porretani, deprehensus & reprehensus, tractatum: quid & quemadmodum tandem fuerit iudicatum. Vnde vobis si tardius videor obedire, non miretur vestra serenitas: quoniam ante vigiliam festiuitatis omnium sanctorum verbum aliquod paruum vel grande super hoc non audiui. Eadem die stylum & tabulas apprehendens cœpi scribere, quid optarem vobis, si possem, celerius intimare.

Eodem igitur anno, quo prædictus pontifex Eugenius Romanæ ecclesiæ cathedram \* sedens, non mediocrem

ANNO  
CHRISTI  
1142.



ANNO  
 CHRISTI  
 1148.

primo statim auditu flagitiosis intulit metum, & honestis omnibus e regione fiduciam; magnus quidam vir & bonorum memoria dignus Arnaldus nomine, & cognomine, † Qui non ridet, in ecclesia Pictauesi sub prædicto episcopo officium archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, sed ab eius prædecessore promotus; difficile siquidem talis arbor fructum eiusmodi protulisset. Accidit autem, vt ab eodem archidiacono satis fideli pariter & diserto super quibusdam capitulis fidei familiariter, vt credimus, ante commonitus, nec acquiescens, in ecclesia demum palam argueretur. Appellatum denique est ad Romanam ecclesiam, & coram prænominato papa eadem quaestio ventilata. Qui in Gallias descensurus, vtramque partem sibi præcepit in solennitate paschali Parisiis præsentari. Adfuit beatissimus pater noster sanctus Bernardus cum eodem papa in eadem solennitate Parisiis, cui omne negotium Christi, vbicumque eum contigisset adesse, tamquam omnino proprium, nemine super \* hic ambigente, protinus incumbebat. Facta est inquisitio, secundum prædictum codicem expositionis † super Boetium ab eodem episcopo requisitum: ad manus se non habere respondit. Inuenta est tamen apud scholares particula quædam, vbi inter cetera continebantur hæc verba: Si homo, cui diuersa conferre vt sit, præ abundanti vnus formæ, vtputa sapientiæ, dicitur ipsa secundum illud, tu quantus quantus nihil nisi sapientia, es multo magis Deus, cui diuersa non conferre vt sit, dicitur esse sapientia sua, bonitas sua, & cetera. In hunc modum producta est in medium hæc scriptura, & disputabat sanctus Bernardus aduersus episcopum, dicens graue verbum & enorme videri, quo dicebatur, diuersa non conferre Deo vt sit, quasi conferat vnum. Illam quoque similitudinem locutionis emphaticæ procul esse a Deo, nec sicut quilibet \* hominem, sapientia sua dicitur; sed vere & substantiue dicam esse sapientiam suam, essentiam suam, diuinitatem suam, & non quemadmodum Dauus dictus est scelus. Negabat autem episcopus docuisse vel credidisse aliquando se, vel literis commendasse, quod diuinitas non esset Deus, quod forma vel essentia esset in Deo, quæ non esset Deus; & amplius aliquid faciens, discipulos suos episcopum quemdam

† Locus de-  
 curtatus &  
 corruptus;  
 defunt mul-  
 ta de Gili-  
 berto: nam  
 quæ sequū-  
 tur dicta  
 sunt de eius  
 accusatore.

† Textus in  
 multis de-  
 prauatus.

\* hoc

\* s. ho-  
 minum

Concil. Tom. 27.

C c ij



\* Eboiensem generosum satis, Rothomagensis archiepiscopum post futurum, Rotoldum nomine, & magistrum Iuonem Carnotensem testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, inuitus <sup>\* f. quatuordecim</sup> quam, ut satis tunc animaduertimus, sed suorum stimulatione compulsus; propter verba tamen libelli sui quæ præmissimus, & quia aliud alii asserabant, iniunxit ei summus pontifex, quatenus ante Concilium, quod eodem anno in ciuitate Rhemorum celebrare proponebat, eundem sibi libellum transmitteret studiose scrutandum, & paratus esset in eodem Concilio ad obiecta plenius respondere.

Accidit autem ut expositionem illam sæpe dictus dominus Eugenius ab episcopo sibi directam venerabili cuidam abbati Præmonstratensi Godescalco de monte sancti Eligii, qui postmodum factus est Atrebatensis episcopus, traderet perscrutandam. Qui diligenter, ut pote vir disertus, notauit capitula, & ex libris sanctorum catholicorum patrum auctoritates paucas manifeste contrarias scripsit in scheda, quas ad idem Concilium veniens domino papæ cum libello Pictaueusis episcopi præsentauit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem ecclesiæ domnum Albericum Ostiensem, cum omni reuerentia memorandū, qui legatione functus in Aquitaniam, super vita pariter & doctrina illius <sup>\* f. Godefridus</sup> G. tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab eiusdem Ostiensis episcopi feruentissimo zelo præ ceteris eiusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si aduixisset idem vir, Pictaueusis ille, quæ ausus est confiteri, præsentem eo nullatenus præsumpsisset. Ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notauerat: sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino papa traditus <sup>\* de f. cl.</sup> patri nostro sancto Bernardo Clarauallesi. Aderant viri magni nec mediocriter literati Gaufredus de Oratorio Burdigalensis ecclesiæ archiepiscopus, cuius in Pictaueusis <sup>\* f. ecclesiæ</sup> episcopus suffraganeus erat, Milo Morinensis episcopus religione & scientia satis insignis Ioslenus Sueffionensis episcopus, tam sæculari quam literali scientia præditus, Sugerius abbas sancti Dionysii, cui

ANNO  
CHRISTI  
1148.\* f. Eboi-  
centem\* f. quatuor-  
decim\* de  
art\* f. Gode-  
fridus

\* f. ip-

\* de f. cl.

\* f. ecclesiæ



ANNO  
 CHRISTI  
 1148.

Francorum Rex Ludouicus Hierosolymam proficiscens, totius regni commiserat administrationem. Hi & alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter & scripturæ sacre testimoniis arguebant, nisi quod prædictus Gaufredus minus ceteris loquebatur, de industria parcens homini, & iudicio se reseruans, sicut humiliter est confessus, & poenitentiam egit audiens dominos cardinales, quorum principales fauisse reo, & euidenter etiam fouisse constabat, super auditis obiectionibus sese promittere iudicaturos.

\* al. de-  
 curata

Ingredientibus vero nobis consistorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos Pictaueses fecisset afferri, & nos paucas auctoritates ecclesiæ in sola scheda haberemus, occasione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quod \* decertata testimonia proferremus, cum ille codices integros exhiberet, vbi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis præcedentia vel sequentia adhærent. Prolatum tamen capitulum de eius codice in hæc verba: Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. Quod dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, & aduersus eum adhuc tergiuersantem non immerito causarentur, sanctus Bernardus ad episcopum ait: Quid necesse est circa huiusmodi verba diutius immorari? non aliunde procedit scandalum huius origo, nisi quod plures credere vos, credunt, & docere, quod diuina essentia vel natura, diuinitas eius, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere: Forma Dei & diuinitas, qua Deus est, &

\* f. ipsa

\* ipse non est Deus. Ecce, ait sanctus Bernardus, tenemus quod quarebamus; scribatur ista confessio. Præcepit summus pontifex, & dominus Henricus Pisanus tunc Romanæ ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Claræuallensis monachus, & ex abbate sancti Anastasii sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis, ad eius mandatum porrexit & attulit chartam, calamum, & incaustum. Cum autem scriberet ipsam confessionem, Et vos, ait episcopus ad abbatem, scribite, quod diuinitas est Deus. Nec concitatus ille respondit: Scribatur, inquiens, stylo ferreo in vngue adamantino, vel sculpatur in filice, quod diuina essen-



tia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo, vere est Deus.

ANNO  
CHRISTI  
1143.

Disputatum est deinde super eodem capitulo, & eo usque processum est, vt diceret sanctus, quod si forma illa Deus non est, melior Deo est, cum ex ea Deus habeat esse, ipsa autem nec ab eo sit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potissimum credidi memorandum propter eam specialiter causam, quia disputatione completa, ecclesie Rhemensis armarium mox ingressus, plures exinde tuli codices, & in libro beati Augustini de Trinitate inter alia plura testimonia, eadem pene verba, quæ sanctus Bernardus obiecerat, reperi in hunc modum: Deus magnus est non nisi ea magnitudine, quæ est quod ipse: alioquin illa erit maior magnitudo quam Deus. Ceterum cum de primo capitulo prima die disputaretur, ego fui qui obieci eidem episcopo, audientibus vniuersis, quod verba illa quæ modo profitebantur eodem anno Parisiis coram domino papa, & maiori parte maiorum quæ aderant personarum, penitus abnegasset, & testes produxisset, quod talia nunquam crediderat, nunquam docuerat. At ille multum confidens, & amplius forsitan quam postea voluisset, quia negare non poterat se negasse: Quidquid tunc dixerim, modo, ait, hoc dico. Ego vero suspirans grauiter, quod viderem coram tantis iudicibus paulo minus impune tanta præfumi: Ego sicut rex, inquam, vestrum dictum & deductum habetis.

Et factum est, vt disputantibus personis quæ aderant, super primo capitulo prædicto occurreret, secundum, profitente prædicto episcopo, quod nec vnus Deus, nec vnum aliquid sit tres personæ, licet tres personæ sint vnus Deus, id est vna diuinitate, & sint vnum, id est vno. Et aduersus hoc capitulum diutius est disputatum, postquam suggerente sancto Bernardo, & domino papa præcipiente, ipsum etiam cum priore literis est commendatum. Cui euidentis satis opposita est auctoritas Athanasii in hæc verba: Supernarum virtutum carmina vnum tria, & tria vnum esse confirmant. Sequenti die codices tantos attulimus ad disputationem, vt obstupescerent fautores episcopi, & a nobis audirent, quia ecce schedulas non habemus. Faciebat episcopus in libris beati Hilarii, & de corpore



ANNO  
CHRISTI  
1148.

Canonum in quorundam Græcorum epistolis verba minus intelligibilia, præsertim in tanta festinatione, & in tanta ac tali multitudine lectitari: nec deerant qui pro eo se opponerent, licet parum intelligentes. Addita sunt eodem die capitula duo prioribus, & literis pariter commendata: quod personales proprietates, & æternarum rerum multitudinem copiosam episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus esset, nulla a Deo.

Quartum fuit capitulum, quod natura diuina naturam non suscepit humanam, sed persona Filii naturam nostram suscepit, contra illud beati Gregorii: Quia venit ad nos calceata diuinitas humanitate: & beati Augustini in libro primo de Trinitate: Ergo quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus, & vtrumque homo. Item eiusdem super euangelio Ioannis in tractatu LXXV. Semetipsum exinaniuit, & homo & c. quis nisi idem ipse Christus Iesus? sed hic iam sunt omnia, & Verbum in forma Dei, quæ accepit formam serui; & anima & caro in forma serui, quæ accepta est a forma Dei. & Leo papa: Suscepit nos illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. Exinde \* propter quam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, vt dicerent domini cardinales: Quia ecce audiimus quæ proposita sunt, deinceps iudicabimus qualiter debeant definiri. Quod verbum eatenus mouit corda multorum, vt sequenti die apud sanctum Bernardum conuenirent archiepiscopi decem, episcoporum quoque & abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur reseruasse, quos nouerant fere omnes errantis potius quam erroris fautores; prouidere oportere, cum capitulis illis \* G. episcopi, suæ & fidei symbolum mitti, vt scirent plenius vnde iudicarent. Scripserunt ergo capitula totidem, quam expressius potuere illius verbi, suam confessionem contrariam in omnibus & per omnia proponentes, quam de communi omnium conuenientia non sine multa deliberatione dictatam iudicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, \* nec contrarium aliquid iudicarent; sed credebant nonnullos eorum ad hoc tendere, vt sine aliqua definitione Concilium solueretur: propter quod ei-

\* f. post-  
quam

\* f. Gili-  
berti

\* f. ne



dem scripturæ, quam nouissimam vobis mittimus, subscripta sunt nomina singulorum qui aderant archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & magistrorum de consensu & conuenientia vniuersorum.

Et electæ sunt tres personæ, episcopi duo reuerendissimi, Hugo Antifiodorensis, & Milo Morinensis, & Sugerius abbas sancti Dionysii, qui eandem scripturam domino papæ & cardinalibus præsentarent, & dicerent eis: Pro vestra reuerentia sustinimus minus dignos acceptione sermones, donec tandem audiuius, quod de eis iudicare velletis. Offerimus ergo & nos vobis nostram confessionem, vt non de parte, sed de partibus iudicetis. Teneatis confessionem hominis illius scriptam: conuenit vt teneatis & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, vt paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur: nos huiusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, vt noueritis quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitus mutaturi. Quibus sine cunctatione dominus papa respondit, & vniuersis qui miserant eos renuntiare præcepit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana ecclesia dissentiret, etsi stare visi fuerant \* aliquid pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit quod in insigni palatio, cui nomen est Thau, ecclesia vniuersa conueniens, & interrogatus episcopus Pictauiensis capitulis singulis libere renuntiavit, hæc eadem verba locutus: Si vos aliter creditis, & ego, si aliter dicitis, & ego, si aliter scribitis, & ego. Ibidem dominus papa auctoritate apostolica, de assensu totius ecclesiæ, quæ conuenerat, capitula ipsa damnauit, districte præcipiens ne eundem librum legere vel transcribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius eum Romana ecclesia correxisset. Cumque responderet episcopus: Ego corrigam ad arbitrium vestrum: Non vobis ait, hæc correctio committetur.

Erant & alia, quæ in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem episcopus tradidisse, licet nos dissimularem; pro multitudine tamen scholarium, qui testimonium perhibebant ab eo audiuisse multoties, hæc coram omnibus scissæ & discerptæ fuerunt chartæ, quæ  
dice-

ANNO  
CHRISTI  
1148.



ANNO CHRISTI 1148. dicebantur eius sententias continere. Quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur. Quanam fuerint illa capitula, nec tum scire curavi, nec adhuc scio. De cetero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestrae dignationis accepi, diligenter considerans in libro glossarum psalterii, quas idem Gili- bertus Porretanus composuit super versum, *Adorate sca- bellum pedum eius*, ita scriptum inueni: Caro de terra est, & de carne Mariae carnem accepit Christus. Hæc sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem eius spiritua- liter manducat, nisi prius adoret. Hucusque verba sunt Augustini. Quibus continuo addidit Gilibertus declara- tionem, quod est additamentum eorum: Non \* illa dico adorationem, quæ latría est, quæ soli Creatori debetur, sed \* illa quæ dulia dignior est: dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur; quæ duas habet species, vnam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humani- tati Christi exhibetur. In libro etiam glossarum eius in epistola sancti Pauli super illum locum: *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne no- men*, ita est commentatus: Quibusdam videtur hoc no- men datum homini, quod nulla ratione conuenit: hoc enim \* donum esse Filium Dei, hoc nomen esse Deum, quod non per solam appellationem, sed per naturam su- per omne nomen est, quod non post passionem suam, sed potius a Patre, a quo habet omnia, cum \* genera- tur, accepit. Hoc ergo non homini datum, nisi forte quis dicat, per adoptionem omne datum: sed adoptiuo Deo non fleatur omne genu, nec est in gloria Dei Patris: nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Aposto- lus: *Dedit illi nomen*, &c. Quod ideo dico, quia natus accepit vt per crucem manifestaretur, \* quid a Patre, dum generaretur, accepit. Horum ergo capitulorum ni- hil eiusdem Concilii tempore audieramus, nihil penitus noueramus.

Videntur autem his contraria hæc quæ sequuntur in scripturis beati Leonis papæ, quorum auctoritatem sacris Canonibus confirmatam optime nouit vestra discretio. Dicit enim in sermone paschali: Non sic creatura in socie- tatem sui Creatoris assumpta est, vt ille habitator, & illa

Concil. Tom. 27.

D d



esset habitaculum; sed vtrumque Deus de potentia suscipientis, vterque homo de humilitate suscepti. In vtraque igitur natura idem est Dei Filius, & nihil est alterius naturæ, quod non sit vtriusque. Item in nullo diuidentes visibilem ab inuisibili, corporeum ab incorporeo, & Verbum in Christo hominem, & Christum adoremus in Verbo. Infra: Vtrumque fideliter credite, vtrumque fideliter adorate, & in vnitatem Verbi & carnis non sit vlla diuisio. Idem in sermone de Natali: Ab illo tempore, quo Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est, cum nihil assumpto diuinum, nihil assumpti deesset humanum: non enim diuinis humana præiudicant, nec humana diuinis: ipse est caro qui Verbum. Idem ad Flavianum episcopum: Sententia est Ioannis apostoli & euangelistæ: Qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus. Quid autem est soluere Iesum, nisi humanam a Verbo separare naturam?

Augustinus in definitionibus ecclesiasticorum dogmatum: Homouision Patri & homini adoratur ab angelis, & omni creatura, sicut Pater & Spiritus sanctus, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, & in homine Deus. Idem de prædestinatione sanctorum: Ille homo vt a Verbo in vnitatem personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Nam & ipsum dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum didicimus in Apostolo. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, tam celsa, & summa subuectio, vt quo attolleretur altius non haberet. Hieronymus in breuiario psalmorum super, *Adorate scabellum pedum eius*: Licet quidem assumptus sit homo, & ad comparisonem Dei omnis creatura scabellum pedum eius est; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, & de sedili suo. Videte quam rem audeam loqui: Ego ita adoro scabellum, sicut & thronum. Ego non intelligo aliud sedentem, & aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quomodo sit, nescio, & tamen credo quod sit. Sufficit mihi scire quod scriptum est quod credo: Fideles dicimur, non rationales.

*fol. 98.*

Contra capitulum quartum, secundum quod præscri-



ANNO  
CHRISTI  
1148.

psimus, sentit Leo papa scribens ad Flavianum episcopum ita: *Hoc, inquit Apostolus, sentite in vobis, &c.* Philip. 2.  
*In gloria Patris.* Assumpti, non assumptis prouectio est quod dicitur: *Deus illum exaltat.* Idem scientes, quod sempiterna Filii deitas nullo apud Patrem creuit augmento, prudenter aduertite, quod nec cui dictum est: *Terra es, & in terram ibis,* eidem in Christo dicitur: *Sede a dextris meis.* Gen. 3. Psal. 109. Idem ad Constantinopolitanos: Dicant aduersarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam Filium super vniuersa prouexit, vel cui substantiæ cuncta subiecit: deitas enim Verbi par in omnibus & consubstantialis est Patri: sed minor erat prouehente qui creuit: in natura hominis accepit a Patre, quod in natura deitatis etiam ipse donauit. Item ad Leonem Augustum, & ad Palæstinos: Exaltationem, qua illum exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. Item: Quidquid ergo accepit, in tempore secundum hominem accepit, cui quæ non habuit conferuntur. Forma autem serui in gloria diuinæ potestatis euecta est, nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, vel adoretur. Hieronymus in breuiario super epistolam ad Philipenses: Si ita assumptus homo humiliari dignatus est, diuinitas, quæ se humiliare non potest, eum qui humiliatus fuerat merito exaltauit. Sed & illi donatum est nomen quod ante non habuit: vnde recte locus hic secundum humanam naturam intelligendus est. Idem super: *Dixit Dominus Domino meo;* istum locum Saluator in euangelio exposuit, dicens: *Si Christus est, inquit, filius David, quomodo in spiritu vocat eum Dominum?* Math. 22. huic Domino, cui præcipitur vt sedeat. Deus enim non sedet, assumptione corporis sedet: huic ergo præcipitur vt sedeat qui homo est, qui assumptus est. Augustinus contra Maximum: *Donauit illi nomen, &c.* homini donauit ista, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus est, ipsa exaltata est, ipsi donatum est nomen quod est super omne nomen, homini Christo secundum carnem mortuo, resurgenti, ascendenti, donatur enim nomen quod est super omne nomen. De cetero vt epistola finem deinceps

Concil. Tom. 27.

D d ij



fortiatur, si placuerit vestrae discretioni super prioribus capitulis quatuor plenius edoceri, in sermonibus beati Bernardi super Cantica canticorum diligentior de eisdem disputatio continetur. Oramus & oramus, ut bene semper in Domino valeat vestra paternitas. Recommendamus vobis fratres nostros de Fossa noua. De prosperitate vestra & statu ecclesiae sanctae certitudinem satis vellemus audire. *Pergit vero.*

Appendix  
ad epistolam.

Vix perfecta erat epistola haec ab eo cui tradita fuerat ad scribendum, & ecce eadem hora voluntas Domini fuit, ut mihi occurreret quod volebam. Ab altero siquidem fratre, priusquam mihi praesens epistola redderetur, scriptura alia diu quaesita iam penitus desperanti mihi exhibita est, quam eisdem capitulis ante annos pene quadraginta edideram cum ipso symbolo, quod domino papae & Romanae ecclesiae ex parte decem archiepiscoporum, & omnium episcoporum pene qui in illa adhuc die Rhemis \* inuincti sunt, cum abbatibus maximis atque plurimis, & magistris scholarum, & subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat praesentatum. Vnde satis exultans, illam quoque scripturam adiiciens huic epistolae, tamquam carissimo domino meo, vobis utramque filiali deuotione transmitto.

Audiui etiam, quod super damnatione Petri Abailardi diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cuius libellos pia memoriae dominus Innocentius papa secundus in vrbe Roma, & in ecclesia beati Petri incendio celebri concremauit, apostolica auctoritate haereticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam cardinalis & legatus Romanae ecclesiae, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiae sancti Nicolai de Aruasia, theologiam eius, Sueffione Concilium celebrans, similiter concremauerat, ipsum Petrum praesentem arguens, & conuictum de haeretica prauitate condemnans. Vnde vestro si placuerit desiderio, per libellum de vita sancti Bernardi, & per eius epistolas missas ad curiam satisfiet. Inueni tamen in Clarualle libellum cuiusdam abbatis nigrorum monachorum, quo errores eiusdem Petri notantur: quem & olim me vidisse recordor, sed a multis annis, ut

ANNO  
CHRISTI  
1143.

\* filium  
ti



ANNO  
CHRISTI  
1148.

custodes librorum asserunt, studiosè quæsitus primus quaternio non potuit inueniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium cuius abbas extitit qui eundem librum composuit: & si recuperare poterò, transcribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, vt cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata.

Haecenus Gaufredi epistola ad episcopum cardinalem Albanensem.

**CONCILIVM TREVIRENSE**  
IN CAUSA SANCTÆ HILDEGARDIS  
abbatissæ in monte sancti Ruperti celebratum anno  
Domini MCXLVIII. tempore Eugenii papæ III.

NOTA.

\* *Concilium.* ] Trithemius in chronico Hirsaugiensi anno millesimo centesimo quinquagesimo, *His temporibus*, ait, *Eugenius papa III. Treuerim venit cum octodecim cardinalibus, episcopis, & abbatibus multis, inuitatus ab Adalberone eiusdem ciuitatis archiepiscopo, qui papam cum ceteris qui aderant omnibus per tres menses in cibo ac potu ex propriis sumptibus copiosissime prouidit. Ibi papa Eugenius ecclesiam monasterii sancti Matihæ apostoli de nouo reparatam pridie Kalendas Februarii dedicauit. Synodum quoque tam episcoporum quam cardinalium & abbatum ibidem celebrauit, vbi Henricus archiepiscopus Moguntinus, & sanctus abbas Claraualis Bernardus ipsi summo pontifici mirabilia quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde montis sancti Ruperti confessoris abbatissa retulerunt. Quibus auditis papa attonitus, & rem diligentius inuestigare volens, Virdunensem episcopum Adelbertum cum aliis viris fide dignis misit ad sanctam Hildegardem, vt cum humilitate & mansuetudine, sine strepitu vel curiositate, quid rerum esset ab ipsa sciscitarentur. Qui cum ad monasterium, in quo degebat sancta virgo, deuenissent, & iuxta commissionem apostolicam, veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter quæ de se erant aperuit, & legatos cum scriptis & libris reuelatis sibi diuinitus dimisit. Quibus papa recognitis, volumina sanctæ virginis sibi transmissa coram cardinalibus, archiepiscopis, abbatibus, & omni clero publice recitari præcepit, & per se lectoris officio functus partem non modicam legit, per quæ omnium mentes in stuporem verse, ac voces in laudem Creatoris omnium excitate sunt. Aderat ibi sanctus pater Bernardus, quo mediante summus pontifex cum ceteris monebatur omnibus, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiã tantam, quam Dominus suo tempore manifestasset,*

Acta Concilii.

D d iij